



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De|| EXTREMA VNCTIO-||NE, ORDINE, ET MATRI-||MONIO.|| SINGVLIS LIBRIS
EX-||PLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXXIII. De cæremoniis Sacramenti Coniugij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54104)

AD illud autem Concilij Mileuitani, respondimus in disputatione de diuortio, Patres eius Concilij non petere legem, qua decernatur, nō licere post diuortium vxorem aliam ducere, priore viuente, sed qua puniatur pœna externa, qui id fecerit: iam enim Patres ipsi in Concilio rem satis definiunt, & definitioni suæ pœnam excommunicationis adiecerant.



CONTROVERSA SEPTIMA.

CAPVT XXXIII.

De Ceremoniis Sacramenti coniugij.

DOSTREMA controuersia de ritibus, ac ceremoniis est, quibus Matrimonij Sacramentum in Ecclesia Catholica solet administrari. Id enim commune est omnibus Sacramentis, vt præter essentialem ceremoniam à Deo institutam, in qua Sacramenti sentia consistit, adhibeantur etiam aliqui alij ritus ex antiquo Ecclesiæ more, vel instituto, quo maiori cum pietate, ac deuotione Sacramentum percipiatur.

In Matrimonio igitur hæ ceremoniæ obseruari solent. **PRIMO**, benedicuntur noui sponsi in Ecclesia à sacerdote. **SECUNDO**, offertur pro eis oblatio Eucharistiæ. **TERCIO**, velamine obnubuntur. **QUARTO**, vitta partim candida, partim purpurea simul iunguntur. **QUINTO**, annulo à sacerdote benediçto, sponsus sponsam donat. **SEXTO**, variis precibus coniugium recens contractum Domino commendatur. **SEPTIMO**, cohortatione sacerdotali monentur officij, vt honestè in Matrimonio se gerant, Horum rituum duos postremos aduersarij etiam seruant, vt ex libello Caluini de Sacramentis ministrandis, & ex alijs hæreticorum Agendis perspicuum est.

Et sanè mirum est, cur Calvinus in libello, cui titulum fe-

cit, Formula Sacramentorum administrandorum, tam seriò tractet de ritu Matrimonij celebrandi, eumque cum ritu Baptismi, & Eucharistiæ coniungat, cum tamen Matrimonium Sacramentum esse neget, Sed ita contingit aliquando pertinentibus, ut quod ore negant, factis affirmant.


Ceteros ritus, quos Catholici seruant, non dubito eorum probari: tamen neque Kemnitijs ad can. 11. sess. 24. Concilij Trid. ubi anathema dicitur hos ritus contemnentibus, aliquid scripsit contra has cæremonias; neque apud alios auctores vllum legi aduersus easdem cæremonias solidum argumentum. Quare satis erit hoc loco, ex veterum auctoritate ritus illos confirmare.


Ac primum exstat testimonium NICOLAI Papæ, qui sedente annos DCC. & habetur can. Nostrates, 30. q. 5. Deinde exstat testimonium ISIDORI lib. 2. de officiis, cap. 19. ubi etiam ratio singulorum redditur. Floruit autem Isidorus ante annos plus CM. Adhæc SIRICIVS Papa in epist. 1. cap. 4. & INNOCENTIVS I. item Papa, in epist. 2. c. 6. benedictionis sacerdotalis, quæ nubentibus dari solet, meminerunt: eiusdem etiam mentionem faciunt Patres Con. IV. CARTHAGINENSIS, quorum vnus fuit S. AVGVSTINVS, cap. 13. S. AMBROSIVS in epist. 70. ad Vigilium, non procul ab initio, non solum benedictionis meminit, sed etiam velaminis, quo noui sponsi à Sacerdote in Ecclesia operiuntur: vnde etiam nuptias dictas esse interpretatur idem Ambrosius libr. 1. de Abraham cap. vlt. quòd velo obnubatur sponsa. Floruerunt autem Siricius, & Ambrosius ante annos MCC. & Innocentius atque Augustinus, ante annos paulò pauciores. Denique TERTVLLIANVS his omnibus antiquior, in lib. 2. ad uxorem, meminit oblationis, qua

Matrimonium in Ecclesia confirmatur, Atque hæc de Sacramento Matrimonij.

*Finis quinque Controuersiarum generalium
Tomi secundi.*

LAVS DEO, VIRGINIQ; MATRI MARIE.





I
B
T

PR

AL

TE